



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§. 19. Principium 19. Privilegium personale ahæret personæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

plenariè integratas volumus) non cenferi debent sublata, nisi per hanc vel similem clausulam: Aliis derogatoriis, & in illis clausulis, irritantibusque & aliis fortissimis decretis contrarium etiam pluries concessis, confirmatis, approbatis & iterum iteratis vicibus innovatis &c. qualis tamen clausula quia hactenus non apposita scitur in ulla Bulla, hinc Privilegia supradictarum Religionum nunquam revocata censenda debent, uti doctus quidam Recentior in manuscripto Tractatu de Legibus existimat.

## §. XIX.

## PRINCIPIUM XIX.

## Privilegium Personale adhæret Personæ.

*Sensus.*

Hoc est, quando Privilegium aliquod tantum tantæ Personæ datum est, tum, quocumque Persona migrat, eum Privilegium secum trahit; & si illa omnino moritur, eum Privilegium perit.

*Authoritas.*

Desumptum est ex lib. 6. decret. c. fin. reg. 7. illudque replicant & defendunt Canisius & Dynus in tr. de reg. Juris.

*Ratio.*

Quia cessante causa cessat effectus, ergo, cum causa Privilegii hujus extiterit sola Persona, cui collatum est, recte fertur, Privilegium tale Personam quocumque comitantem illa etiam extingui.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. Archiepiscopum non posse pallium suum Successori relinquere, uti in cap. Ad hoc 2. de Arch. episc. usu pallii definitur.

Deducitur 2. Potestatem delegatam à Pontifice acceptam cum ipsa morte delegati expirare, uti in cap. Mandati 6. de Privilegiis Præsumpt. habetur.

Deducitur 3. Si Clericus moriatur, Domesticos ipsius non gaudere immunitatis privilegio, ut ex l. Etiam 1. ff. soluro Matrim. colligitur.